



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. IV. An dubium de Irregularitate excuset ab illa incurrenda?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

quia non potest cadere prohibitio, & privatio circa formam, cujus subiectum est incapax.

IV. Hinc fit, fœminas, & infideles non baptizatos non posse fieri irregulares; omnes vero laicos, & Clericos posse irregularitatem contrahere, etiam Episcopos, & Cardinales, quamvis non fiat de iis expressa mentio; quia in cap. *Periculosum*, de *sententia excommunicat.* solum eximuntur a Suspensione, & Interdicto, quoties de iis non fit expressa mentio. Si quis esset irregularis, non deberet in Pontificem eligi, ut late ostendit Major, utpote tali dignitate indignus: Si tamen eligeretur, eo quod irregularitas esset occulta, electio esset valida, ad vitanda schismata, ex cap. *Licet*, de *Electio.* Quare ipso facto per electionem tolleretur ab eo irregularitas, necnon censura, si quam haberet, cum non posset amplius jure Pontificio ligari quoad vim coercitivam: Sicut enim non potest Pontifex novam irregularitatem contrahere, etiam si propria manu aliquem verbi gratia occideret; ita nec potest priorem irregularitatem in se conservare.

V. Irregularis ex uno capite potest iterum aliam irregularitatem ex alio capite, verbi gratia, ex novo homicidio, incurrere, ita ut dispensatus in una, adhuc maneat alia irregularitate irretitus.

ARTICULUS IV.

An dubium de Irregularitate excuset ab illa incurrenda?

- I. In dubio juris, ratione ipsius juris dubii, irregularitas non incurritur.
- II. In dubio vero juris, ratione personae, qua dubitet de jure ceteroqui non ambiguo, incurritur irregularitas, si ignorantia sit crassa, non secus ac incurritur censura; non

tamen si ignorantia sit invincibilis, aut non mortaliter culpabilis.

III. Etiam dubium facti excusat ab incurrenda irregularitate, non secus ac dubium juris.

IV. Quod in tali dubio tutior pars eligatur, consilium est, non preceptum.

V. In dubio homicidii injusti incurritur irregularitas ex delicto; at in dubio homicidii justo non incurritur irregularitas ex defectu lenitatis.

VI. Incurritur in dubio homicidii irregularitas, quando constat tum de homicidio secuto, tum de causa culpabiliter adhibita de se sufficiente ad causandum hoc homicidium, & solum dubitatur num ex hac causa, an aliunde illud sit secutum.

VII. In dubio mutilationis non incurritur irregularitas, sicut in dubio homicidii.

VIII. Qui dubitat, an suo consilio influxerit ad homicidium Clerici, debet se gerere ut irregulare, non vero ut excommunicatum, nec tenetur saltem ad integram restitutionem.

IX. Procurans abortum, in dubio an foetus sit animatus, probabiliter non est irregularis. Et quid si dubitetur, num foetus sit mas, qui citius, an fœmina, qua serius animatur?

I. **D**iximus art. 2., ignorantiam si ve juris, si ve pœnae excusare ab incurrenda irregularitate; discutendum nunc, an etiam excuset dubium si ve juris, si ve etiam facti: Dicitur autem dubium juris, quando quis dubitat, an lata sit lex aliqua sub pœna irregularitatis. Dicitur dubium facti, quando quis dubitat, an commiserit factum, quod scit prohibitum esse sub pœna irregularitatis.

II. Queritur itaque primo; An excuset dubium juris?

Respondeo, dubium juris aliquando

do haberi ratione ipsius juris, quando scilicet fundamentum dubii est in ipso jure; quia videlicet ejus verba sunt ambigua; vel quia dubitatur, an tale jus extet, nec potest homo certificari post diligentem inquisitionem: Aliquando vero dubium juris habetur ratione personae, quae dubitat ex propria ignorantia, & negligentia, non quia jus sit in se ambiguum.

In primo casu non incurri irregularitatem, sive dubium sit negativum, sive positivum, docent communiter Doctores cum Suar. disp. 40. sect. 5., Sanch. lib. 1. in Decalog. cap. 10., Bardi, Bonac. punct. 5. contra Garz. de Beneficiis cap. 1., & alios. Ratio est; tum quia lex non obligat subditos, nisi sit illis sufficienter proposita; quousque enim non habetur certitudo de lege prohibente, stat in possessione libertas; Tum etiam, quia irregularitas non incurritur, nisi sit in jure expressa, ex cap. cit. *Is qui*; In dubio autem juris non habetur jus expressum; ergo in tali dubio juris non incurritur irregularitas.

In secundo casu, in quo habetur dubium juris ratione personae illud ignorantis, dicimus eodem modo discurrendum de ignorantia censurae, ac de ignorantia irregularitatis, & cuiusvis poenae extraordinariae. Quare sicuti ignorantia invincibilis, non vero affectata, crassa, & supina, mortaliter culpabilis, excusat a censura incurrenda, (juxta dicta de Censuris in genere) ita & ab irregularitate, ut diximus art. 2. cum Pal., Con., Sanch. contra Suar., & alios existimantes diversimode discurrendum de censura, ac de irregularitate; Volunt enim, censuram non incurri ab ignorante invincibiliter sive jus, sive poenam; quia est poena medicinalis, quae requirit contumaciam, quam excludit ignorantia: Irregularitatem vero volunt includi; quia est poena vindicativa non pra-

supponens contumaciam.

III. Queritur secundo; An etiam dubium facti excuset ab incurrenda irregularitate?

Respondeo cum communi contra nonnullos cum Vasq., Azor., Hurt., eodem modo discurrendum de dubio facti, ac de dubio juris, quia scilicet in utroque dubio melior est conditio possidentis: Excipitur tamen dumtaxat homicidium; Nam in cap. *Significasti*, & in cap. *Ad audientiam* 2., de homicidio, imponitur irregularitas, etiam quando quis dubitat, an homicidium commiserit. Ratio doctrinae ulterior ex Bonac. est, quia ad summam ambigitur, an in aliis factis, praeter homicidium, quando ea sunt dubia, jus statuerit irregularitatem; & consequenter tale dubium est dubium juris; sed in dubio juris non incurritur irregularitas, ut jam ostendimus, ergo neque in dubio facti, praeter homicidium.

Confirmatur; quia in dubio Voti, an scilicet sit emissum, non habetur obligatio illud servandi; ut communiter docent cum Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 9., & tamen est dubium facti; ergo neque in dubio facti incurritur irregularitas, nisi exprimitur, ut exprimitur in homicidio.

IV. Dices: Clemens III. in cap. cit. *Ad audientiam* assignat rationem universalem, cur in dubio homicidii debeat quis se gerere ut irregularem; quia scilicet tutior pars eligenda est; ergo in omni dubio facti incurritur irregularitas; cum in omni dubio facti militet eadem ratio. Sed contra est primo, quia haec ratio probat, quod etiam in dubio juris incurrat. Secundo dico, Axioma illud, Quod tutior pars eligenda sit, non esse de precepto, nisi tantum in casibus a jure expressis, eo quod in dubio melior sit conditio possidentis, sed esse
tan-

tantum de consilio, ut notat Sanch. de matrim. disp. 41.

V. Norandum tamen primo ex Sanch. & Henr., illum dumtaxat censendum esse irregularem, qui dubitat, an patriverit homicidium injustum; non vero qui dubitat, an patriverit homicidium justum in iudicio, aut in bello justo, quia de homicidio injusto videtur esse sermo in capitibus citatis; sed dicendum verius cum Avila apud Bonac. punct. 5. esse irregularem; quia in cap. *Petitione tua, de homicidio* habetur: Eum, quem conscientia remordet de homicidio patrato in bello justo, censendum esse irregularem.

VI. Norandum secundo ex Escob., & Bardi de conscient. disp. 6. cap. 7. §. 4. & aliis apud Dian. part. 4. tract. 2. resol. 16., probabiliter irregularitatem solum incurri, quando constat de homicidio secuto, & de causæ applicatione, seu de cooperatione ad illud, & dubium solum est, an ex propria cooperatione illud secutum sit; talis enim est casus illorum textuum, ut norant Ostiens., & Zabarel. Quare, si vel non constet de morte secuta, vel non constet de sufficienti cooperatione ad illam, probabiliter irregularitas non incurritur. Idem docet Dicastil. tract. 10. de Censur. dub. 3. dicens: *Accedit, quod iura loquuntur in casu, in quo constat de homicidio simul cum actione adhibita, que ex se possit influere, & iurare.*

VII. Hinc sequitur primo, non esse irregularem, qui dubitat, an aliquem mutilaverit; quia irregularitas non contrahitur in dubio mutilationis, sed solum in dubio homicidii.

Secundo, si quis in dubio juris de irregularitate homicidii, aut de alia censura suscipiat mala fide ordines, eo quod non adhibuerit debitam diligentiam ad assequendam veritatem, potest deinde post adhibitam diligentiam Or-

dines exercere, etiamsi dubium perseveret. Ita Bonac. quest. 1. punct. 5. contra Reginald. lib. 3. cap. 2. Ratio est, quia quamvis peccaverit non adhibendo debitam diligentiam, at huic peccato non est annexa irregularitas. Ex alia parte adhuc remanet dubium juris, utrum irregularitatem, vel aliam censuram contraxerit; ergo non debet se gerere ut irregularem.

VIII. Tertio sequitur, quod qui consilium dedit de homicidio, quod jam secutum est, si dubitet, an suo consilio cooperatus sit ad illud, debeat se gerere ut irregularem; quia in tali casu habetur dubium facti relate ad homicidium, quod vere est secutum, & ad quod meam actionem, seu concursum moralem applicavi: Et quamvis dubitem, an ego ad illud cooperatus sim; at satis est, quod ego actionem meam posuerim de se sufficientem ad cooperationem, in quo casu præsumit jus, me ad homicidium meo consilio cooperatum esse. Ita Bonac. loc. cit. ex Sanch.; qui pariter putat, sic dubitantem teneri ad restitutionem; Avil. autem quamvis putet, si secutum jam sit homicidium Clerici, debere dubitantem, an suo consilio influxerit, etiam se gerere ut excommunicatum, negat tamen teneri ad restitutionem, eo quod in dubiis melior sit conditio possidentis. Equidem censeo, sic dubitantem in homicidio Clerici debere se gerere tantum ut irregularem, non vero ut excommunicatum, nec teneri saltem ad integram restitutionem; quia irregularitas dumtaxat contrahitur in dubio homicidii, non vero excommunicatio, nec obligatio restituendi saltem adæquate; cum in dubiis possessio stet pro libertate; unde ad summum pro ratione dubii ad restitutionem teneretur.

Non me latet, Giballin. de irregularit.

larit. cap. 4. quaest. 1. docere, quod dubitans, an consilium, vel mandatum influxerit in homicidium, hoc etiam secuto, non incurrit irregularitatem in foro conscientiae, quamvis in foro exteriori, si constaret de consilio, declararetur incurrisse. Et Henr. lib. 14. cap. 13. addit, quod dubitans, an homicidium sit secutum ex vi propriae, an alterius actionis, non sit irregularis, quia ad incurrendam irregularitatem debet dubitans probabiliter reputare, quod ipse commiserit homicidium. Quam sententiam non putant improbabilem Suar., Salas, Rebell., & alii apud Bardi in Bullam Cruciatam part. 3. tract. 2. sect. 5., quia textus Canonici loquuntur de foro externo. Sed hisce opinionibus meum calculum addere superse-
deo.

IX. Quarto sequitur, quod qui dubitat, an sit secutum homicidium, ad quod dedit suum consilium, non debeat se gerere ut irregularem; quia non constat de homicidio secuto. Hinc qui foeminae gravidae propinavit venenum ad abortum, si secuto abortu dubitatur, an foetus fuerit animatus, probabiliter non incurritur irregularitas. Ita apud Mojam in selectis quaest. tract. 5. quaest. 6. Praeposit. Bardi, Pelliz., & alii apud Dian. loc. laud. part. 4. tract. 2. resol. 16. contra Sanch., Avil., Rodriq., Mendo, & alios. Ratio doctrinae est, quia dubitatur de homicidio secuto. Et ratio a priori est, quia in dubio juris non incurritur irregularitas, ut communiter Doctores docent; sed in casu nostro dubium est juris, an scilicet sit imposita in jure irregularitas, quando dubium est de homicidio secuto, cum aliqui Doctores id asserant, alii negent, interpretantes varie textus Canonicos; ergo in tali casu irregularitas non incurritur; siquidem nunquam irregularitas incurritur, ni-

si sit in jure expressa.

Hinc nonnulli cum Praeposit., Machad., & aliis apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 24. docent, in dubio, an sit foetus mas, vel foemina, praesupponendum esse foeminam, ac proinde non esse animatum ante octogesimum diem, juxta communem opinionem asserentem cum Aristot., & Plin., mares animari quadragesimo die, & foeminas octogesimo; ut videre est apud Dian. part. 6. tract. 5. resol. 6. Verum benignis hisce opinionibus adversus hujusmodi scelestos non est facile utendum: Probabilior enim, & communior sententia docet cum Sanch. lib. 1. cap. 12. Avil., Molin., & aliis, irregularitatem incurri, etiamsi de homicidio non constet, quia universim in dubio talis delicti incurritur irregularitas.

ARTICULUS V.

Quomodo tollatur Irregularitas?

- I. Nonnulla irregularitates cessant, cessante earum causa. At quae proveniunt ex actu praeterito, qua tali, non qua moraliter perseverant, indigent dispensatione.
- II. Non cessat irregularitas per absolutionem, ut censura, nempe per actum judicalem; sed per dispensationem, quae est exceptio a lege communi, & dicitur vulnus legis.
- III. Quanam irregularitates per Baptismum tolluntur improprie; quanam vero proprie? Verius per Baptismum non tollitur irregularitas ex defectu lenitatis.
- IV. Episcopi in nonnullis dumtaxat irregularitatibus dispensare possunt.
- V. Num possit Episcopus secummet dispensare in iis irregularitatibus, in quibus id potest cum subditis suis? Num etiam cum Religiosis exemptis? Num cum suis subditis ex-